

EXTRACTS RELATING TO THE HISTORY OF
ARCHBISHOP BECKET.

From MS. Lansdowne 398, in the British Museum.

COMMUNICATED BY THE REV. J. C. ROBERTSON, CANON OF
CANTERBURY.

A PASSAGE which has already appeared in a critical notice of Mr. Duffus Hardy's 'Catalogue of Materials relating to the History of Great Britain,' may serve, with some abridgment, by way of introduction to the following extracts.

“In Mr. Hardy's elaborate 'Catalogue' Becket occupies eighty pages, and the author enumerates no less than a hundred and twelve articles relating to him. Yet this long and carefully compiled list of materials adds hardly anything of importance to the documents which are already in print. The only pieces which, on looking through the catalogue, struck us as at once unknown to us and likely to be of any interest, were two which are contained in the Lansdowne MS. 398, and these we have lately examined. The first of them, as Mr. Hardy points out, is not noticed in the Lansdowne Catalogue, being undistinguishable in appearance from the MS. of the Life by Fitzstephen, with which the volume begins. But with folio 42 the text of Fitzstephen is broken off, and it is followed by another fragment, which, as Mr. Hardy says, 'appears to be a commemorative homily.' Mr. Hardy, however, has not observed that this in its

turn breaks off with folio 53, and that the next two leaves, which relate chiefly to Becket's consecration, are part of another piece. The remaining tract in the same volume is also of the homiletical kind, and the earlier part of it is marked off into twelve lessons, for use in the service of the church. Dr. Giles has printed the beginning of this (S. Thom. Cant. ii. 316-326), but he does not seem to have been aware that such real value as the work may possess is in the later part, which relates to the transactions after the murder."¹

To this it may be added that Mr. Bond and Mr. Hamilton, of the British Museum, who have favoured me with their opinions on the manuscript, agree in thinking that the portion of the *Life* by Fitzstephen and the two fragments which immediately follow it (foll. 43-53 and 54-55) are in the same handwriting; that this belongs to the end of the fourteenth century or to the beginning of the fifteenth; and that the third fragment (foll. 65-75) is of the end of the twelfth century, so that it must have been not only composed (like the pieces which precede it) but written very near Becket's own time.

I have not, except in special instances, attempted to preserve the peculiarities of spelling which occur in the MSS.

J. C. R.

I.

[During the Archbishop's exile]

(Fol. 43b.) Multi quasi de crimine lesæ majestatis durissime a regis officialibus conventi sunt et redarguti, quod ei de facultatibus suis aliquid transmisissent.

(Fol. 44b.) In Beati Thomæ veneratione et visitatione fuerunt Angliæ primi novissimi et novissimi primi. Primò enim debiles, pauperes, et minores sensim repunt. Postea me-

¹ 'Contemporary Review,' February, 1866, p. 275.

diæ manus homines adveniunt. Pulso tandem regis timore, ei obviam exeuntibus et clamantibus "Osanna filio David,"¹ posteaque "Totus mundus post illum abiit,"² ita clerus, baronia, militia, et populus universus Angliæ et vicinarum insularum et regnorum statim accurrunt, catervatim ruunt, Cantuariam veniunt, ubi manus Domini distillaverunt probatissimam.³ Veniunt, inquam, videre ibi Dei gloriam in terris inter homines choruscantem in signis et prodigiis auditis et inauditis. Tandem rex ipse paruit mortuo quem viventem ferre non poterat. Ejus miracula in magno volumine scripta habentur, et extant apud plurimos.⁴

[Near the bottom of fol. 45 a new division of this tract begins. The writer addresses a supposed audience of clergy and bishops.]

(Fol. 45 b.) A sæculo non est auditum fuisse in Romana ecclesia aliquod schisma quod non finiretur vel utroque electorum superstite . . . vel saltem morte alterius electorum. Nunc autem adeo multiplicata sunt mala, adeo invaluit dissensio, ut, Octaviano in schismate defuncto, secundum jam et tertium idolum elevatum sit, et ab unitate sanctæ Romanæ ecclesiæ et Catholici papæ Alexandri audientia et obedientia imperator Fredericus cum tota sua sequela discesserit sub juramento Sed miserator et misericors Dominus matri nostræ ecclesiæ Romanæ pacem provideat, et donet unitatem.⁵
(Fol. 47 b.) Sed Domine mi, rex vel imperator, quisquis es

(Fol. 48 b.) Hi omnes clerici quasi una familia sunt domus Dei, ecclesiæ sanctæ, sponsæ Christi, in obedientia et justitia vicarii beati Petri, domini Papæ. Esto, aliquis istorum vel plures mali sunt, latrocinium exercent, fures sunt, incendiarii sunt, vel homicidæ; forum tamen suum habent ecclesiasticum, ubi conveniantur, judicentur, confessi vel convicti degradentur, et a clero postmodum summoti et discoli laicis annumerentur, et tunc demum tui fori, tuæ jurisdictionis, tuæ potestatis esse incipiunt, domine mi rex, ut, si in manus tuas inci-

¹ Matth. xxi. 9.

² Joh. xii. 19.

³ "Manus meæ stillaverunt myrrham, et digiti mei pleni myrrha probatissima."—Cantic. v. 5.

⁴ This probably refers to the work of William of Canterbury, described in our sixth volume, p. 2.

⁵ Hence it would seem that this was written before the reconciliation between the Pope and the Emperor in 1177, which was soon after followed by the submission of the antipope Calixtus III.

derint, non evadant. Quid mirum si clerici omnes de foro tantum ecclesiastico sint, ibi super quolibet crimine conveniendi, judicandi, cum plurimæ civitates seu castra forum suum et immunitatis suæ privilegium habeant super civium suorum causas? Ecce Londonia regni Anglorum sedes est. Cives ejus si accusentur, si de placitis coronæ conveniantur, in civitate sua respondebunt, et legibus suis judicabuntur; non lege duelli, non examine aquæ vel ferri candentis se purgabunt, nisi sponte elegerint, sed ibi finis est omnis controversiæ sacramentum.¹ Oxenfordia similiter se habet, et aliæ aliquæ urbes eadem gaudent libertate. Et forte in aliis regnis, pluribus in locis ita est. Judæis etiam proposita lege sacramentum finis est omnis litis, tam civilis quam criminalis. Numquid tibi, domine mi Rex, indignum debet videri, si clerus honoretur libertate quæ civibus laicis vel Judæis est indulta?

(Fol. 49.) Ut commemorem de maxima ira regum Christianorum, tamen ad consequentiam non trahenda, sed ut infra illam longe subsistant principes, Rogerus Siciliae, quæ de jure domini Papæ esse deberet, invasor et violentus incubator, domino Papæ reclamanti infestus, episcopis Siciliae, ad concilium summæ sedis se evocatos esse dicentibus, et ad iter se præparantibus, ait, "Equidem obedientiam, quam Deo et domino Papæ debetis, vobis non inhabeo; sed equi et omnes possessiones regni mei meæ sunt; pedibus ibitis." Illi gaudentes quod aliquam contumeliam paterentur pro Christi nomine, pedestre iter arripiunt usque Beneventum.² Quo audito, dominus Papa eis de virtute obedientiæ gratiam habens, pedestrem ad concilium veniendi remisit eis necessitatem, et mandavit redire ad propria. Rex Angliæ Willelmus secundus, beato Anselmo offensus in exilium eunti, misit post eum non³ itinere ei additum quendam de familiaribus clericis suis. Qui celans propositum inter alios sancti archiepiscopi clericos⁴ habebatur in honore, quasi unus ex illis intrans et exiens, et archiepiscopi ad mensam assessor. Ventum est ad mare. Una dierum aëre sereno, vento secundo, cum equi starent et in littore essent sarcinæ et impedimenta, ut in navem admitterentur, ait ille clericus regis sancto archiepiscopo Anselmo, "Domine, ut corpus vestrum retineatur nullum habet dominus rex potestatem; sed facultates, quas

¹ Heb. vi. 16.

² MS. Boneventum.

³ Sic MS.

⁴ MS. Clericis.

extra regnum ejus asportare paras, aurum et argentum, ad opus regis ex ejus præcepto retineo, et huc ad hoc veni." Mox fecit e scriniis et clitellis et loculis omne æs extrahi et fisco sociari. Sanctus archiepiscopus patienter sustinuit, et pauper navem ascendit. Quo cum appulsus esset audito, comes Flandriæ eum facultatibus tanto viro dignis et necessariis sufficientissime instruxit; sed et rex Francorum et magnates Galliæ pia compassione idem fecerunt. Sanctus Anselmus Cluniacum venit, ibique moram fecit usque dum rex humanis rebus exemptus esset, proh dolor, eo fatalitatis¹ modo qui tantum regem, tam illustrem principem, si Deum arctius amasset, non deceret.

[After relating the plunder of the Archbishop's palace by the murderers, the author goes on as follows:]

(Fol. 51 b.) Ad hæc quid fecerunt justiciarii præsidesve provinciarum, vicecomites seu alii officiales regis, vel habitatores regni omnes in pacem servandam jurati? Equidem illos sceleratos, illos parricidas, sacrilegos et prædones, per stratam publicam diebus itinerantes inpune abire dimiserunt ad propria. Et postea fere per annum in Anglia commorati sunt, ludentes in avibus cæli et canibus venaticis. Ubi sunt sacramenta pacis conservandæ? Sed dicitis, "Rex ipse dissimulabat." Contra. Immo, conventus postea a cardinalibus ad hoc missis, plene et plane negavit, et juravit se mortem ejus noluisse neque præcepisse; et quia propter eum, licet non per eum, ut se purgavit, occisus est a suis aulicis, absolvi impetravit et pœnitentiæ imploravit remedia. Sed et hic episcoporum et cleri Angliæ admiranda est negligentia. Nullus mutire ausus est, nullus fere ausus est parricidas illos excommunicare. Cantuariensi ecclesiæ versa erat cithara² in luctum, organum in vocem flentium,³ cantatio in plorationem. Nulla ecclesia cum illa

(Fol. 52.) matre sua Cantuariensi ploravit, nulla cessavit a divinis, cum potius vel spinis ecclesiarum obstrui debuissent aditus, ut inter vestibulum et altare plorare deberent sacerdotes et levitæ ministri Domini, et dicere, Parce, Domine, parce clero et populo tuo, et ne des hæreditatem tuam in perditionem.⁴ Equidem propter peccata cleri maxime et populi Angliæ ita flagellata est ecclesia Anglicana in patris sui percussione et perpeffione. O episcopi Angliæ, ita destitutus

¹ MS. facilitatis. ² This word is faintly written in the margin.

³ Job xxx. 31.

⁴ Joel ii. 17.

fuit bonus archiepiscopus vester occisus vestro¹ et ultione, sicut vivens vestri auxilio et consolatione. Solus relictus fuit in certamine. Equidem dixit de vobis dominus Papa Alexander, durante adhuc distantia regis et archiepiscopi in exilio morantis, cujus litteras et mandata recipere noluistis, cujus potestatem et obedientiam appellationibus vestris annuis et annum includentibus frustratorie delusistis: "Magis," inquit, "conturbant animam meam episcopi Angliæ, qui obedientiam promiserunt et observare contemnunt, quam episcopi Allemaniæ, qui in schismate isto, imperatoris timore incumbente super eos, nobis obedientiam nec promiserunt nec observant." Item illud Henrici Londoniensis, "notæ per oppida buccæ,"² a multis auditum est. Erant in ecclesia Beati Pauli Londoniensi una dierum aliqui episcopi et abbates considerantes ad cognitionem quarundam causarum ecclesiasticarum ex præcepto domini Papæ, et multitudo magna clericorum, civium, militum, et aliorum cum eis. Intraverunt forte et quidam Judæi Londonienses, qui talibus et aliis se ingerunt conventibus ad repetendum si quos ibi viderint debitores suos. Inter quos et (Fol. 52 b.) quidam Judæorum episcopus venit. Cui Henricus ille dicax, "Bene veniat," inquit, "episcopus Judæorum; recipite illum in consessum³; equidem fere nullus est episcoporum Angliæ qui non fraudaverit dominum suum archiepiscopum Cantuariensem, præter istum; in hoc episcopo Israëlitæ dolus non est." Omne hoc malum, O episcopi Angliæ, ex regia in Deum et ecclesiam sanctam injuria ortum, folum coaluit ex vestra ab unitate cum archiepiscopo vestro discessione, ex discordia vestra intestina, ex timore vestro terreno. Putabatis vos habere archiepiscopum vobis similem, qui suis possessionibus timeret, suam cognationem ditare et dilatare quæreret, qui suam carnem foveret, qui tempore persecutionis vel sileret vel sub dissimulatione in justitiæ⁴ et libertatis ecclesiasticæ dispendium dispensationem admitteret. Non sic erat, non sic. Bonus archiepiscopus vobis erat, et non agnovistis eum Cognationem suam cognatus Anglorum⁵ posthabuit, nisi quem

¹ Some word with which *vestro* ought to agree has been omitted.

² Juvenal, iii. 35.

³ MS. Concessum.

⁴ MS. Et libertatis in justitiæ.

⁵ This might seem to favour M. Thierry's idea that Becket was of Anglo-Saxon descent, and was a champion of his people against the Norman conquerors. But ought not the reading to be *cognatis aliorum*?

meritorum qualitas commendaret, aut de quo, juniore adhuc, ex bonæ indolis flore fructum vitæ melioris speraret. Carnem suam non fovit, immo a die consecrationis suæ domuit cilicio asperiore et esu vel potu parciorē. Tempore pacis fregit quæ dominari vellent in eo carnalia desideria. Tempore persecutionis inventa est ejus præsto quam pro ecclesiæ causa et libertate ecclesiastica poneret anima

[Fol. 53. The section ends with a prayer for the Church and kingdom. Then begins a discourse on the heathen fashion of celebrating birthdays, as exemplified by Pharaoh and Herod; and it is said that instead of this the Christian usage is to celebrate the day of death “sive pœnalis, ut martyr, sive simpliciter fatalis, ut aliorum.” Fol. 53* ends, while this subject is still in hand, with the words “adjecit fidelium devotio.”]

II.

[The second fragment begins on fol. 54 with the words] cleri, frequentia magnatum, concursu militiæ et populi, pari omnium lætitia, læta, hilaris et jocunda, ut plane velle videretur Deus, quod ita plene volebat clerus, militia et populus. Hora diei quasi quarta, compositis omnibus præparatoriis, et episcopis suis episcopalibus instructis, reliquisque ecclesiasticis personis prout competebat ordinate et ornate se habentibus, a re vestiario ecclesiæ usque magnum altare ille venerabilis electus Thomas progreditur, in capa nigra et superpellicio, ut clericum decebat et archidiaconum. Fuerunt qui post martyrium ejus dicerent, quod cum ordinandus processit, habitum monachi et cilicium, in quo inventus est martyr Christi, intus gerebat absconditum; sed quod vel quando illa scema¹ religionis notæ Deo sed absconditæ hominibus susceperit, hujus consilii æstimo non fuere multi conscii vel participes. Ante illud sacrum altare super gradus prostratus, orationi aliquamdiu incubuit. Erectus in chorum coram est adductus; sed quia aulicus fuerat, regis s[cilicet?] officialis et cancellarius, ne postmodum posset Cantuariensis ecclesia occasione ejus perturbari, si rex mutato circa eum affectu vellet ab eo exigere ut suas exponeret rationes, seu super mutuis, seu super redditibus vacantium episcopaliū ecclesiarum vel abbaciarum, seu super castellariis et

¹ “*Scema* vel *schemata* proprie usurpatur pro habitu monastico” (Ducange, s. v.). We ought, of course, to read either *illud scema* or *illa scemata*.

servitiis militaribus, primo petivit Cantuariensis ecclesia dicens, " Si persona ista libera et immunis et ab omni sæculari querela¹ nobis tradita fuerit, parati sumus eam talem recipere, et ordinandam episcopis repræsentare." Ad hæc domini regis primogenitus et hæres, postmodum rex Henricus tertius, tunc major decenni, jam juratis ei omnibus de regno, sed et bonus (Fol. 54b.) comes de Legrecestrie Robertus, principalis justiciarius Angliæ, aliique officiales et comites et barones regis, qui fere omnes aderant, eundem Thomam ex parte regis tunc transmarini, et ejus mandato et præcepto, Cantuariensi ecclesiæ a cancellaria et omni sæculari officio et debito et querela liberum et immunem, solutum et quietum, reddiderunt. Cumque de manus impositione pro dignitate ecclesiarum suarum contentio soleret esse inter Rophensem episcopum, ejusdem Archiepiscopi Cantuariensis capellanum, et Londoniensem episcopum, Archiepiscopi decanum, ibi alter[c]ari desitum est, et Wyntoniensi episcopo, qui Londoniensis absentis, vel cum vacat ecclesia illa, vicarius est, illa manus impositio et ordinationis celebratio salvo jure cujuscunque est delata pro bono pacis, tum pro reverentia illius festivitatis, tum pro auctoritate ipsius domini Wyntoniensis. Igitur anno Dominicæ incarnationis millesimo centesimo sexagesimo secundo, operante Spiritu Sancto, manus imponente Henrico Wyntoniensi episcopo, beatus Thomas Cantuariensis ordinatus est archiepiscopus. In illa consecratione perfusus unctione olei exteriori et visibili, peramplius et perfectius perfusus est unctione misericordiæ Dei, rore Spiritus Sancti interiore et invisibili. Reddidit cum ibi Deus de potente sæculi pauperem Christi, de sæculari (ut videbatur) ecclesiasticum, de mundano cœlestem, de carnali spiritualem. Quam laudabiliter exinde vitam instituerit, quantum quotidianis incrementis virtutum perfectioni addiderit, qualiter etiam postmodum aborta [aborta?] adversus eum et clerum seditione pro ecclesiæ libertate laboraverit, et contra principem et potestates regni usque ad mortem decertaverit, in vita ejus et passione descripta latius exequuntur. Quam felix fuisset Anglia sub pastore tali, si aliquamdiu advixisset in (Fol. 55.) regno, quæ ita feliciter magnificata est ejus festinato martyrio! Quam beatus fuisset rex suus tali archipræsule, si ejus adquevisset monitis et consiliis, quæ vel ab ipso sancto sibi transmissa sunt exule!

¹ There seems to be something wrong here. Perhaps insert *soluta*.

In crastino autem ordinationis suæ, cum eum de dono suo precibus sollicitarent joculatores, id genus hominum, qui plurimi affluerant, respondit eis modeste, “Non sum qui fueram cancellarius; quæ retro sunt oblitus, debeo me in anteriora extendere. Pecuniam ecclesiasticam in usus ecclesiæ et pauperum erogandam suscepi; eam vobis dare non habeo; itemque prohibet beatus Gregorius mimis et joculatoribus aliquid dari, ut sic saltem coacti ab illa vitæ suæ cessent scurrilitate, et ad aliquod honestum se conferant exercitium.” Idemque beatus Thomas, qui ita dare consumptoribus et bromiis non adquevit, inter cætera sanctitatis suæ opera adeo pauperibus extitit benignus, afflictis compatiens, ut misericordiæ operibus maxime habundaret, et domus suæ eleemosynam solitam de suorum constitutione antecessorum admodum augmentaret. Viduis præterea desolatis, pupillis quoque et orphanis, infirmis, inclusis, visitationis manum extendebat, et eis opportunum pro tempore consultum ferre satagebat. Pauperibus quoque collegiis monachorum et monialium mittebat quinque marcas, simul summas frumenti, ut de archiepiscopalis facultatis copia omnium, si fieri posset, egenorum sustentaretur inopia. Ejus ordinator venerabilis Henricus Wintoniensis, quem patrem suum scribens ei salutabat, eum a die ordinationis ejus admodum dilexit, et ei in exilio ipsius postmodum munificus et officiosus esse curavit, et frequenter eum coluit in aureorum et argenteorum suorum transmissione. Atavis hic erat editus regibus,¹ primi

Henrici serenissimi Anglorum regis ex sorore nepos, regis Stephani frater, et illius regis Henrici secundi quasi avunculus. Iste cum omnimodis et infinitis supra omnes episcopos Angliæ habundaret divitiis, regemque thesauri sui hæredipetam ipsiusque officiales ad eum quasi jam ætate confectum oculos retorquere intelligeret, maluit thesauri sui Christum facere hæredem, habuitque gratiam quæ aliorum divitum rara esse conspicitur. Vix enim aut nunquam datur alicui thesaurum congregare et disgregare. Itaque ita magnifice, ita laudabiliter, aurum suum, argentum, pallia, gemmas pretiosas, supellectilem variam, infra triennium suum dispersit, dedit pauperibus, ut thesaurizans in cælo fisci regii officiales divitiarum suarum et re frustraret et spe. “Væ mihi! pro nobilitate generis mei parsum est mihi, non fui dignus in hac persecutione martyrium vel contumeliam pati pro nomine Jesu. Tempus meum prope est; quando Deo

¹ Horat. Od. i. 1.

placuerit, apponar ad patres meos ; sed cum reliquo corpore meo manus hæc mea non putrebit, quæ illum sanctum Dei martyrem ordinavit archiepiscopum.”

Ipse beatus Thomas exoret Dominum pro omnium fidelium salute vivorum, requie defunctorum. Amen.

III.

[This fragment does not appear to contain anything new as to the Archbishop's life.

After relating how the murderers carried off from the palace the plate, etc., “quæ omnia archiepiscopo exeniata erant,” the writer goes on :—]

(Fol. 65.) Recedentes ab interfectione cum pompa sua, (siquidem et dæmones pompam habent,) diversa loca et castella peragrarunt, gloriantes et dicentes se diabolum interfecisse. Vere dominum suum diabolum interfecerant. Aduncatus leviathan hamo passionis hujus, inescatus carne hostiæ istius

(Fol. 65 b.) [After an argument that miracles were necessary in the primitive Church.] Constat ergo et in hoc tempore vel fidem periclitatam esse, vel persecutiones imminere, in quo tot et tanta miracula dignatus est Dominus declarare, et martyrem suum tam gloriose magnificare.

(Fol. 66 b.) Passionem ergo beatissimi Thomæ non potuit mundus tacere, quia quamvis homines silerent, saxa et lapides clamarent. Audita autem primo fama hujus tantæ nequitiae, non cito credidit scelus quod horruit, donec testes testibus succedentes rem detestabilem factam lamentabiliter indicaverunt. Vulgare proverbium, “Raro falsum esse quod ab omnibus canitur.”

Eodem die passionis beati Thomæ quidam de Cantuariensi ecclesia mare adierunt, et, ne iter eorum ab observatoribus portuum intercluderetur, statim transfretaverunt, rem nefandam et inauditam in nostro tempore, immo, in aliquo tempore, felicissimo Papæ Alexandro indicaturi. Quorum iter ita prospere a Domino directum est per sanctum martyrem Thomam, ut ne unam quidem in itinere molestiam sustinerent. Sed nec defuerant ministri Zabuli,¹ qui passioni ipsius insultantes et quasi congratulantes victoriæ regis Anglorum Henrici, in Normannia tunc

¹ So the MS. reads in this place, although we have had *diabolum* a little above.

agentis, rem ut acta erat victoriose referebant. Quod audiens præfatus rex, rem ut futura erat suspicatus, infamiam necis et proditionis archiepiscopi in sugillationem personæ suæ et in obprobrium potestatis suæ redundare cognovit. Quod quamvis, ut dicitur, ipse non præcepit, ipse tamen non prohibuisse, immo satellites suos ad hoc verbis exasperasse, dinoscitur. Propter hanc ergo causam vehementer indoluit, sicut David in morte Saulis vel in interfectione Abner; alia tamen causa. David enim quia inimici occubuerunt, ipse quia mortem amici,¹ immo amicissimi sui, sibi novit imputari. Licet enim rex ejus fuerit inimicus, ipse tamen regis intimus amicus erat. Et licet illis doloris alia et alia fuerit causa, similis tamen mœstitia. Præfatus enim rex, audita archiepiscopi famosa morte, cui pacem remeandi in Angliam indulserat, et quem in amicitiam sub testibus et sponsionibus receperat, ita indoluit quod rumorem hunc recitanti neque responsum ded[er]it, neque in illa die cum aliquo colloquium habu[er]it, sed in conclavi receptus usque ad vespervas cibum non sumpsit. Et sicut David lugens filium suum Absalon, ita mente consternatus est. Sed recens dolor intensior solet esse in principio, processu vero temporis vires amittit, infamiaeque inproperata primo incutit pudorem, diuturna vero et assueta contemptum. "Iram," inquit poeta, "atque animos a crimine sumunt."² Si enim consuetudo altera est natura, usus mancipatio accipitur pro ratione. Stultorum consolatio est vetus consuetudo, sapiens autem malam consuetudinem deprehensam mutat consilio. Sæpe dictus rex, quem in primordio necis archiepiscopi ita indoluisse diximus, instinctu perversorum hominum, et quasi in decentia³ regis, jam aut parum doluit, immo nihil, aut omnino dolorem dissimulavit. Portus enim maris et littora subtiliter observare præcepit, ut nullus monachus, nullus clericus, nec alia suspecta persona ab Anglia egrederetur, quæ hoc facinus perpetratum Romæ vel alibi propalaret. Miroque modo innotescere timens longius innotuit. Regem tamen ab hoc facinore excusare vellemus, si infandos illos mortis auctores in regno suo non reciperet, si per civitates suas et castella ire non indulgeret, si in silvis suis et venationibus venari non permetteret, si eos non tueretur, si eos non defenderet. Quod fortassis fecit quia ipsos satellites amore suo vel timore cognovit fecisse quod fecerant.

*

*

*

*

*

¹ MS. Inimici.² Juvenal, vi. 285.³ Sic MS.

Audiens etiam rex magnalia Dei et mirabilia quæ per sanctum martyrem suum Thomam fecit, non credidit, sed votivos homines sanctum martyrem poscentes regia majestate prohibuit, suos qui ierant, corripuit, quicumque Cantuariam irent, observare fecit. Sed, Deo gratias, numerus et fides superavit. Et quia "quidquid multis peccatur inultum est,"¹ ad tempus adquisivit. Sed ut dicunt (utinam nec diceretur nec verum esset,) in corpus sancti martyris vel in ecclesiam Cantuariensem vindicari minatus est; usque adeo enim iniqui susurratores et serpentini instigatores eum exasperaverant. Sed etiam hoc consilium, immo inpetum, in melius mutavit Deus quando voluit; cito enim, ut sapiens princeps, ab hujusmodi proposito relabebatur; nec ulterius aliquid hujusmodi minitans, de auro et argento et cæteris oblationibus, quæ ad sanctum martyrem deferebantur, priori Cantuariæ et cæteris fratribus sibi debere dari mandavit. Sed, Deo gratias, cito et ab hac exactione resiliuit, Dominus enim cor regis ad pœnitendum et ad credendum de die in diem emollivit. Quia ergo, ut ait Salomon,² "qui (Fol. 67b.) credulus est, pusilli animi est," et similiter qui nunquam credit, obstinati, rex nec cito credidit nec nunquam, sed exitum rei probare volens sustinuit ad tempus. Quantus vero pudor omnibus Anglicis ubicunque terrarum peregrinantibus incutitur, quanta infamia congeritur, non facile dictu est. Vocantur enim proditores, vocantur fures et sicarii et episcoporum suorum interfectores; et cum modica Anglorum portio hoc elogio fermentata sit, vitium in totam massam redundavit. Clerici quoque in Gallia philosophantes expulsi sunt cum dedecore et magna confusione, impletumque est illud poeticum—

"Quidquid delirant reges, plectuntur Achivi."³

Christianissimus etiam rex Galliæ, et archiepiscopi et episcopi et comites et barones, inter dominum regem Angliæ Henricum et dominum archiepiscopum Thomam mediis et sponsores, litteras et epistolas querelam et calumpniam continentes ipsi regi Anglorum direxerunt, quærentes ab eo quare tantum facinus contra sponsonem eorum vel ipse fecisset vel a satellitibus suis ipse fieri permisisset, cum ejusdem sceleris machinatores nec dampnasset nec exterminasset, cum eos habere potuisset. Et tum minis tum crebris admonitionibus ei mandaverunt quatenus

¹ Lucan. Pharsal. v. 260.

² Where?

³ Horat. Ep. I. ii. 14.

aut purgaret se de hoc crimine, aut ecclesiæ catholicæ condigne satisfaceret; sin autem, eos adversarios et hostes collaterales in perpetuum haberet. Quibus prædictus rex respondit, admissum facinus nec se præcipiente nec volente perpetratum, et se neque factum neque factores tutari velle, et se super hoc facturum quidquid facere haberet. Sed quia neque purgatio examinari neque satisfactio discerni sine Romano pontifice posset, omnes hinc inde voluntatem et mandatum domini Papæ Alexandri præstolati sunt. Sciens autem rex se super hoc ecclesiæ satisfacere non posse, neque pacem neque veniam mereri, nisi prædictos proditores puniret, et traderet Sathanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus fieret in die Domini,¹ verecundans hoc in ipsos exercere, quia propter eum, licet non per eum, hoc fecerant, eos in Scotiam secedere, et ibi juxta morem patriæ in pace latitare, aut præcepit aut consuluit. Quo pergentes flagitiosi, a rege Scottorum et a suis, quasi a bonis Christianis, repulsi sunt, et, nisi timor et autoritas regis Anglorum resisteret et fieri prohiberet, in patibulis suspenderentur. Revertentes ergo in Angliam et finem exitus sui ignorantes, unus eorum, scilicet Willelmus de Traci, statim compunctus et pœnitentia intima ductus, sicut publice peccavit, publicam satisfactionem promisit, et in continenti, sponte et nullo cogente, præter necessitate[m] exilium subiit, et ad misericordiam domini Papæ, omnibus suis relictis et inconsultis, solus quasi publice pœnitens properavit. Alii tres similiter, eadem compuncti necessitate, idem promiserunt, sed prius consilium regis prætemptare dis-

(Fol. 68.) posuerunt, et [ut?] secundum quod faceret, et ipsi facerent. Venientes ergo ad regem, et ipsum super hoc negotio consulentes, tale acceperunt responsum, “Ætatem habere ut ipsi pro se loquerentur, et se ipsos ulterius tueri non posse nec defendere, quippe qui et ipse necessarium habuit se ipsum purgare.” Videntes ergo se non nisi in bivio constitutos, ut aut punirentur aut publicam pœnitentiam agerent, censuerunt melius esse incidere in manus Domini quam in manus hominum, et divino subijci iudicio quam terreno. Compunctique et pœnitentia moti, se iudicio et misericordiæ domini papæ Alexandri submiserunt. Sed quid faceret ille? Si eos omnino repelleret, sine misericordia diceretur; si eos benigne reciperet, sine iustitia; et, si in eos clementius ageret, alii ad consimile facinus incitarentur. Durius autem in eos agens, vel se acturum promit-

¹ 1 Cor. v. 5.

tens, faciem suam vel colloquium non cito indulsit. Cæterum ne desperarent, non tempus subtraxit Tandem ergo dominus Papa, videns præfatorum peccatorum pœnitentiæ constantiam, misertus eos recepit, sed durius examinavit. Corripiensque eorum vesaniam, gravius in eos puniendum censuit, si non intercessisset pro eis tot sanctorum et fidelium virorum flagitatio. Siquidem secum detulerant supplicationes regis Angliæ et aliorum quorumcunque poterant, ut quacunque satisfactione veniam consequerentur. Tardius vero eos audiens dominus Papa, tandem subjicientes¹ se ex toto censuræ ipsius pœnitentiæ indixit Pœnitentiæ autem illorum supradictorum factiosorum talem fuisse audivimus, ut præter privatam pœnitentiæ, quam omnibus diebus vitæ suæ in jejuniis et orationibus et eleemosynis facerent, loca sancta Jerosolimorum adirent, et ibi (Fol. 68*b*.) xiiii annis cum armis militaribus in templo deservirent, et contra paganos dimicarent. Alioqui si non resisteret dignitas Anglorum, qui nullo peccati delicto in exilium delegantur,² illorum gravissimo delicto nulla sufficeret pœna sine exilio. Verum perpendens Dominus Papa satis esse exulari, tot annis Jerosolimis militari,³ et causam necessariam esse propter irruptionem paganorum, qui tunc temporis Christianitatem occupaverant, indicta illis pœnitentiæ prædicta, et ab illis accepta, dimisit eos, ita sane ut hoc tempore in pœnitentiæ Jerosolimis peracto Romam redirent, et se de cætero consilio Papæ qui tunc sanctæ Romanæ præesset ecclesiæ subjicerent. Duo ergo eorum statim in continenti gratanter pœnitentiæ susceperunt; alii vero duo, inflictæ pœnitentiæ pondere, ut sibi videbatur, proffigati, ad tempus resiluerunt; sed postmodum et ipsi adquieverunt.⁴

Episcopi quoque qui adhuc vivente archiepiscopo Thoma a summo pontifice Romano vel officio vel communione privati erant, quorum instinctu superius diximus ipsum archiepiscopum tam inaudite ad extrema perductum (et utinam in hoc

¹ *Qu.* Subjicientibus.

² The privilege that no Englishman should be obliged to go beyond the seas by way of penance is said by some to have been acquired from Pope Benedict III. by Ethelwulf, the father of Alfred the Great. Others say that it was bestowed on Canute, when he visited Rome. See Thom. Rudborne, *Hist. Winton.*, in Wharton, *Angl. Sacra*, i. 202; Gaimar, in Petrie, *Monum. Hist. Brit.* 821.

³ *Sic MS.*

⁴ This sentence seems to be in a different hand from the rest.

falsi essemus), unicum et ipsi remedium reconciliationis invenerunt, videlicet, ut adhibitis vel præmissis aliquibus intercessoribus, quos dominus Papa refutare vel repellere vereretur, ad misericordiam ipsius confugerent, et vel purgarent se vel satisfacerent. Siquidem antea clericos suos cum muneribus et supplicationibus Romam direxerant, nec aliquo modo sine præsentia sua [domino Papæ vel legatis ipsius]¹ exhibita reconciliari poterant. Innitens ergo dominus Eboracensis tuitioni et præsidio et auctoritati quorundam magnatorum² de curia Romana et intimorum amicorum domini Papæ, contestansque se immunem criminis sibi illati, purgationemque promittens, ipsis et aliis collateralibus domini Papæ manu nuntiorum suorum infinita data pecunia, non cito gratiam promeruit, sed ejus suffragatoribus restitit dominus Papa non mediocriter. Sed aliquando sedula postulatione et illorum improbitate victus, rationem simul et necessitatem considerans, propter ipsius et aliorum desperationem, canonica mediante purgatione, ut nec per ipsum nec propter ipsum dominus Cantuariensis interficeretur, archiepiscopum Eboracensem officio restituit. Londoniensis vero, totius ecclesiæ precibus innitens, eadem ratione seu necessitate, canonica præeunte purgatione, ut nec ipso faciente nec volente interfectus esset dominus Cantuariensis, communitati revocatus est

[The King sends repeated missions to the Pope, but without effect.]

(Fol. 69b.) Iterum autem atque iterum rex perpendens quia supplicationibus nihil proficeret, sed magis curiam Romanam exasperaret, domino Papæ nuntios et hujusmodi mandatum direxit, ut si in eum durius aliquid ageret, ipse parti schismaticæ adhæreret quæ tunc in Alemannia schismate Octoviani³ aberraverat, vel ipse apostolicum suum tertium in terra sua faceret, et pro curia Romana in nullo ulterius obsecundaret. Et horum fortassis alterum fecisset, nisi consilium et voluntas Lodovici regis Galliæ simul et timor et proprius pudor restitisset; sapiens enim semper in malefactis pudorem veretur Supradictis ergo causis omnibus, vel aliqua ex multis, rex a concepta destitit præsumptione, sed adhuc quasi præpotens et dives in sua perstitit exactione.

¹ These words are in the margin of the MS.

² Sic MS.

³ Sic MS.

[The King offers to submit to the judgment of the Church. The Pope sends Albert and Theotwin as legates for the settlement of the affair.]

(Fol. 70b.) Venientes ergo longo itinere ad terram præfati regis Francorum, honorifice ab eo et ab omnibus suis suscepti sunt, præstolantesque in Gallia nuntios suos ad scitandum regem Angliæ paraverunt. Audiens vero sæpedictus rex Anglorum adventum apostolicorum legatorum—sive contempnens mandatum domini Papæ, sive ingruente necessitate avocatus, nescio—a Normannia, in qua tunc temporis agebat, in Angliam transfretavit. Nullamque ibi moram faciens, ad Hiberniam, in qua exercitus ejus in expeditione ad terram illam sibi subjugandam morabatur, navigavit, ibique fere per dimidium annum perendinavit, filiumque suum, novum videlicet regem, in loco suo ad faciendum quod ipse facere deberet, reliquit. Quod audientes legati, se esse delusos existimaverunt, et per diversas terras et ecclesias pergentes emendaverunt quod potuerunt. Statimque mittentes in Angliam, in die tertia ante natale Domini ecclesiam Cantuariensem reconciliaverunt, et officia sua celebrare apostolica auctoritate monachis ejusdem ecclesiæ indulserunt. Conquestique sunt valde de absentia regis, quem paratum ad satisfaciendum et mandatis domini Papæ obediendum existimaverunt. Sed secus contigit, quum qui eos ad sui examinationem expectasse debuit, longius abscessit. Tunc convocantes concilium quod tunc præ manibus habere poterant, communi deliberatione et consideratione viros industrios et commendabiles personas, videlicet Henricum episcopum Baiacensem et Ricardum abbatem Valacensem et alios cum illis, ad regem in Hiberniam direxerunt, et apostolica scripta ei miserunt, mandantes ei et subtiliter quærentes ut si ipse in Normanniam redire et mandata domini Papæ audire vellet et obaudire, rescripto indicaret; sin autem, et hoc ipsum certificaret, et ipsi peracta injuncta sibi obedientia, et negotio in quantum possent executo, cum despectione sua et confusione in patriam repedarent. Accipiens autem rex simul cum apostolicis scriptis mandatum et consilium Lodovici regis Gallorum, et aliorum nominatissimorum episcoporum et baronum, se quam cito posset venturum promisit, et legatos cum bona pace et bona voluntate præstolari humiliter exoravit. Quod libenter fecerunt, pro nihilo ducentes gravari vel tædio affici, ut ipsum ad emendationem provocarent, et sanctæ matri ecclesiæ debita jura restituerent.

In anno igitur secundo post passionem felicissimi archiepiscopi et martyris Thomæ, jam transacto ferme dimidio anno postquam legati in Galliam venerant, et adventum regis expectaverant, postquam idem rex multa pericula terra marique cum exercitu suo sustinuerat, et maxime in Hibernia, ubi coram oculis suis milites sui fame et egestate et inedia et multimodo languore periclitabantur et moriebantur, tandem perpendens securius esse inde discedere quam ibi manere, jam æstivo tempore serenante remeavit cum paucis in Angliam ab Hibernia, (Fol. 71.) suis ibi relictis in expeditione. Nullamque moram in Anglia faciens, statim in Normanniam transmeavit, adventumque suum, ut mandatis domini Papæ obtemperaret, et ecclesiæ Dei, si eam in aliquo læserat, satisfaceret, legatis mandavit. Qui coadunato concilio suo cujusque ordinis et gradus, ecclesiasticarum personarum laicorumque numerositate confluyente, Saviniaci primo contra regem convenerunt. Postquam vero præsentiam suam sibi invicem exhibuerant rex et legati, præmisso salutationis eulogio, ut assolet, "Bene," inquit rex, "vos venisse in terram nostram optamus, et ad regni nostri emendationem et confirmationem desideramus;" benignequo eos suscipiens, et benignius in principio audiens, prostratus solo tenus pedibus eorum, quasi sanctæ Romanæ et apostolicæ sedis vicariorum et legatorum, de commissis suis, si in aliquo sanctitatem patris sui, serenissimi Papæ Alexandri, vel curiæ Romanæ læsisset, cum satisfactionis promissione veniam precabatur. A morte vero archiepiscopi Thomæ, de qua dudum impetebatur et reus judicabatur, et jam per annum inter dominum Papam et ipsum causa ventilabatur, ita se immunem esse dicebat ut in nullo sibi consciret quod per ipsum illud facinus fieret; verumtamen si propter ipsum, neque se negaturum neque defensurum, tamen satisfactorum. Ac illi, ut prudentes viri et litterati, sibi undique a cavillationibus et fallaciis præcavescentes, et maxime ne indignum quid sanctæ ecclesiæ et curiæ Romanæ facerent, et culpa a domino Papa in eos redundaret, et infamiæ nota ab universali ecclesia, timentes in aliquo surripere, vel magis sibi surripi ab aliquo, justitiæ summopere intendentes, et satisfactioni regis summa vigilantia consulentes, hujusmodi sermonibus ipsum compellaverunt. "Novit prudentia tua, rex invictissime, sanctissimum patrem tuum, immo, omnium filiorum ecclesiæ, Alexandrum, qui te paternis visceribus complectitur et diligit, tui memoriam indesinenter faciens in sanctis-

simis orationibus suis, nos indignos servos Jesu Christi, causa salutis tuæ et posteritatis tuæ, et pro stabilimento regni tui, et pro communi sanctæ ecclesiæ utilitate, in has remotas a sedibus nostris provincias direxisse. Audivit enim et vehementer indoluit quædam opera detestanda et Deo et hominibus, et Christianis maxime aliena, perpetrata in regno tuo, et culpam et causam in personam tuam redundare. Qui tamen semper bene opinans de te, et bonam spem concipiens de te, qui semper paci et justitiæ intendebas, et sanctam ecclesiam filiosque ejus protegebas, nec cito credidit donec nuntii nuntiis et testes testibus succedentes idem per omnia personabant, et verissimum esse quod audierat lamentabiliter indicabant. Signa etiam plusquam satis manifesta interfectionis archiepiscopi Thomæ delata sunt illi, quibus tandem fidem dedit, quia ulterius dissimulare non potuit quod omnibus notum fuit. Fecit ipse quod potuit; facinus quippe ei displicuit, et quod sibi surripere potuit ut aut illud fieri præcepisses, ut dicebatur, aut permisisses, ut est (Fol. 71b.) videre, gravissime indoluit, et contra spem quam de te conceperat evenisse non mediocriter conquestus est. Consternatusque animo et duplici causa morte turbatus, sive pro coepiscopi sui Thomæ pœna inflictâ, sive pro culpa tibi illata, quo se verteret, quid prius doleret, non est facile perpendere. Audiens etiam dominus Papa quædam alia Deo et sanctæ ecclesiæ refraganea fieri in regno tuo, quorum non solum permissor vel tutor, verum etiam præceptor dictus es, pœnitentiam tuam et emendationem per te ipsum fieri desiderans, usque huc sustinuit. Cumque crebro ad ipsum eorum clamor pervenerit, descendit ut videret utrum clamorem opere compleveris. Distulit enim sententiam, donec plenius veritatem cognosceret. Quia ergo fama mendax potest esse, vel veritatis metas excedere, quæ divulgata intercapedine locorum distantium suscipit incrementum, et vel falsum vero vel falsum falso accumulât, "ut" illi "perhibent qui de magnis majora locuntur"¹ vel "qui nigrum in candida vertunt,"² nos indignos conservos Christi ad veritatem examinandam, et vice ipsius cuncta pro posse et facultate nostra sananda, ad has provincias direxit. Quocirca, si apostolicis mandatis sicut bonus boni patris filius parere decreveris, et in nullo resistere quod tibi ipse mandavit adjudicaveris, sed per omnia sicut decet obediveris, fide media vel obligatione juramenti te obediendum per omnia et satis-

¹ Juvenal, iv. 20.

² *Ib.* iii. 30.

faciendum, nos facias esse securos.¹ Sin autem, nihil hic proficientes, sed irriti et confusi, ad dominum Papam repedabimus.” Iratus ergo rex super hujuscemodi, ut sibi videbatur, indebita exactione, neque quippiam occultum se juraturum neque quippiam non prætaxatum se facturum dicebat. Quippe, si ita jurasset, tale aliquid a se posset exigere quod nec facere vellet nec posset, et ita ad perjurium tali obligatione cogeretur. Verum, si vellent, ipsi mandatum et consilium domini Papæ exponerent; suum autem esse postea aut facere aut dimittere. Illis vero nequaquam adquiescentibus, (timuerunt enim deceptionem,) rege autem nihil aliud prosequente, sed pæne resiliente, ab invicem discesserunt. Quod pacis et justitiæ amatoribus non mediocriter displicuit, inceptoribus vero et exasperatoribus indignationis majestatis regis gaudenter admodum cordi insedit . . . Verum ut quidam amicorum beati Job ait, “Laus ipsorum brevis est, et omne gaudium ypocritæ ad instar puncti.”² Qui primitus de dissidentia regis et legatorum ita exhilarati erant, jam cito mente sunt consternati; (Fol. 72.) et qui prius ad repulsam legatorum acclamaverant jam palinodiam (ut dicitur) cecinerunt. Archiepiscopus enim Rothomagensis et episcopus Lûxoviensis et alii tam episcopi quam alterius cujusque dignitatis clerici, cum fidelibus laicis, exasperatam regis indignationem mitigaverunt, et materie obligationis ejus a legatis exactæ in parte exposita, sicut ipsi ab eisdem legatis acceperant, quia in nullo regiam majestatem dehonoret, sed magis pacem et concordiam persuaderet, ipsum regem ad obaudiendum per omnia mandatis apostolicis et satisfaciendum revocaverunt. Illis ergo apud Averanches convenientibus, juxta examinationem legatorum præfatus rex juravit, et clara voce et fidem omnibus faciente contestatus est, archiepiscopum Cantuariensem Thomam nusquam ipso præcipiente interfectum, sed neque volente, nec minus se pro morte ejus inopinata consternatum quam si proprius ejus oppetiisset filius. Sed quia iracundiæ flamma commotus sæpe satellites suos in præfatum archiepiscopum exasperaverat, quem ipse quasi sibi contrarium minime dilexerat, quod per ipsum eos nequaquam fecisse juravit, propter ipsum fortassis fecisse non negavit. De quo non solum satisfacere sed et satisfacere juxta consilium et examinationem Christianitatis et promisit et com-

¹ There is something wrong here; but the intended meaning is clear.

² Job xx. 5.

plevit. De aliis quoque, super quibus impetebatur, sicut de vacantia ecclesiarum Anglicarum, et de indiscretis¹ Clarenduniæ decretis, vel siquid aliud esset quod emendare exigeretur, secundum consilium suorum congruam faceret emendationem. Hæc est ergo forma pacis et concordiæ inter felicissimum Papam Alexandrum et invictissimum regem Angliæ Henricum, et modus satisfactionis ipsius regis Alberto et Teodino legatis: Ut præfatus rex statuta sua Clarenduniæ ad unguem oblitteraret, nullum eorum in posterum resuscitaturus; et singulis ecclesiis libertates et dignitates suas concederet, et omnibus pastoribus orbatis infra xl dies adventus sui in Angliam, canonica mediante electione, quam illis concesserat, provideret. Insuper ut cc^{tos} milites armis instructos Jerosolimis per unum annum ad defensionem Christianorum contra paganos stipendiaret, et demum ipse rex per seipsum cum toto conatu suo, nisi alia intercurrente necessitate avocaretur, et cum licentia domini Papæ remaneret, contra paganos militaret. Hac ergo sponsione rex conservare jurisjurandi obligationem promisit, et promissum fideliter effectui mancipavit. Restitutaque ecclesia in gradum suum, et Cantuariensi reconciliata, et illa aliisque canonicè pastoribus illuminatis, legati Romam redierunt; rex autem paci et justitiæ indesinenter intendebat. Non multo enim postea quam rex prædictam sponsionem fecit, filium suum novum regem in Angliam destinavit ad id quod promisit exequendum. Qui veniens in Angliam duxit secum Roteroum Rothomagensis archiepiscopum, et episcopum Ebroniacensem et alias excellentes personas, quatenus eorum officio simul cum quibusdam Angliæ episcopis nova inungeretur regina, et eorum consilio archiepiscopi Cantuariensis sequeretur electio canonica. Quos ideo ad inunctionem reginæ asciverat, quam illa per Rogerum Eboracensem et per Gilebertum Londoniensem (Fol. 72 b.) et Saesbiriensem celebrari et administrari contempsit, sicut rei eventus aperte declaravit. Nam convocatis episcopis et abbatibus Angliæ, ut præfata solempniter juxta morem patriæ inungueretur regina, præfati tres episcopi, qui dudum beato Thomæ restiterant, et ideo a domino Papa anathematizati vel suspensi (licet jam, ut diximus, canonicè purgati,) propria ipsius regis jussione ab illa inunctione sunt remoti; administratio autem illa per transmarinos episcopos supra notatos, et per quosdam Angliæ episcopos, Wintoniæ celebrata est. Cujus rei causa

¹ This word is a conjecture, the MS. being indistinct,

Londoniensis episcopus acerbissimo correptus dolore, ut dicitur, vel potius ultione percussus divina, per quam ex vexatione intellectus nonnunquam ministratur auditui, Deoque pœnitentiam ipsius provocante, qui sæpe percellit ut sanet, corripit ut corrigat, in lectum decidit, et gravissimo languore seipso destitutus, ad mortem fere et irremediabiliter, ut omnibus videbatur, pluribus diebus laborabat. Donec a suis consultus et crebro persuasus [est] ut a beato Thoma, quem in vita sua supra modum inquietaverat, et post mortem etiam insectatus fuerat, veniam postularet, et de admissis satisfaceret et de cætero quiesceret, pœniteret perfecte, et indulgentiam Dei et sancti martiris postularet. Visitatus ergo gratia Dei, et salubri castigatione ad pœnitentiam provocatus, iudiciis quibus poterat aquam sancti martiris cum supplicatione veniæ postulavit. Jam enim per triduum ingravescente morbo loquelam amiserat, et quid faceret aut diceret penitus ignoravit. Postquam vero aqua sancti martiris intra fauces ejus recepta est et degustata, loquela ei restituta est et sanitas inchoata, et postea de die in diem plenius donata; liberaque voce protestatus est, ut si eum Deus per merita beati Thomæ reviviscere vellet, sufficientem Deo et sancti Thomæ exhiberet de contemptu reverentiam, de inobedientia humilitatem, de injuriis satisfactionem, et ipse pedibus suis locum martirii sui adiret; [quod et fecit.]¹ Benedictus Deus per omnia, amen, qui sic sternit ut elevet, sic flagellat ut sanet. Perpendo enim in hoc facto quasi alterum Saulum prostratum et Paulum resuscitatum. Cum enim episcopus præfatus religiosa fuerit persona et sapiens et litterata, in hoc ei valde surripuit, quod patri suo spirituali tanto et tam sancto [tam]² inhumane restitit, tam inaudite rebellis fuit. Aliis autem bonis suis multis et variis, quæ circumspectius gesserat, meruit et ab hoc errore non suo sed divino absolvi iudicio. Ecce de quo supra diximus profectus reconciliationis ipsius cum summo pontifice, quia anima ejus, quæ ex dampnatione ejus periret, jam ex reconciliatione ejus inventa est, lucrifacta est ex lenitate quæ ex severitate esset labefactanda. Sarisbiriensis quoque timens iudicium Dei non solum æternum sed etiam temporale, sciensque durum esse incidere in manus Domini, recolensque quia semper est paratum tempus miserendi Deo, præoccupavit faciem ejus in confessione, et iudicium prævenit oratione. Proficiscensque Cantuariam, ante sepulcrum sancti

¹ These words are interlined.

² Interlined.

martyris in orationibus [excubando]¹ pernoctavit, oblationem suam ibi obtulit, veniam postulavit et impetravit absolutionem [Eboracensis vero, diu in sua obstinatione persistens, tandem et ipse pœnituit, et locum martyrii beati Thomæ cum veniæ supplicatione petiit.]²

Celebrata igitur inunctione reginæ Wintoniæ, omnes qui aderant episcopi et abbates et aliæ ecclesiasticæ personæ, aliisque convenientibus apud Windlisoveres ad eligendum Cantuariensem archiepiscopum, beati Thomæ successorem, novo rege præcipiente et eodem præsentate convenerunt. Adsciti fuerunt et Odo prior Cantuariensis et monachi ejusdem ecclesiæ, ut simul cum adscitis episcopis et clericis idoneam tanto regimini personam, tantæ excellentiæ condignum, canonicè eligerent, electumque susciperent. Ubi illis astantibus ut sibi dignum pastorem secundum sacros canones et regis promissa eligerent, quædam personæ potius contra canones quam secundum illos præsentatæ sunt, intrudendæ potius quam eligendæ, magisque videbatur in tali electione suscipiendi præceptio quam canonica deliberatio. Prior enim Cantuariensis et monachi qui cum illo venerant, quasi qui secundum Deum electionem fieri postularent, ita prudenter responderunt, ita constanter egerunt, ita circumspicte se habuerunt, ut neque minis neque blanditiis aliquam personam susciperent nisi canonicè electam. Præsentatasque sibi personas causis rationabilibus prætensis refutaverunt, non quia idoneæ essent personæ, sed quia sibi fuerant magis idoneæ. Quippe dicebatur in ecclesia Christi Cantuariæ religiosas esse personas et ad hujus regiminis gradum suscipiendum satis idoneas. Visum sibi si libertas canonicæ electionis eis indulgeretur, de se ipsis sibi decerni et provideri pastorem debere; non oportere aliquam personam natione alienigenam vel conditione remotam vel professione divisam, [diversam?] cum de se haberent qui subrogari posset et debuisset, eligere vel suscipere; prætendebant etiam dominum Odonem priorem ecclesiæ Cantuariæ, virum religiosum et prudentem et sobrium et litteratum, dignum esse archiepiscopatu; ipsumque et alios plures in ecclesia Cantuariæ sub regularis institutionis norma vivere, inter quos qui eis præficeretur canonicè suscipi oporteret, de quibus propter sanctæ vitæ honestatem et scientiæ perfectionem non solum episcopus vel archiepiscopus, verum eligi posset apostolicus. Cæterum si hæc canonica elec-

¹ Interlined.

² These words are an addition to the original MS.

tio eis non concederetur, esse in Anglia et de Anglis episcopos et abbates, et Cantuariensis ecclesiæ professionis monachos religiosos et sanctos, in quibus aliqua idonea persona idonee eligeretur, ut recursus ad transmarinos episcopos vel abbates neque suppeteret neque competeret. Ipsos vero nulla occasione, sed neque coactione, aliquem suscepturos qui canonice non eligeretur, vel per hostium Christum non ingrederetur. O beatæ constantiæ viros ubique prædicandos, omnibus ad exemplar subjiciendos, omnibus sub exemplo imitandos, qui (Fol. 73b.) communi utilitati potius quam propriæ consulentes, posteris providiores quam sibi commodiores, exulare vel exterminari maluerunt quam indignum pastorem ecclesiæ Christi electione præficere, vel etiam dignum indebite suscipere! utilius judicantes bono etiam pastore ad tempus carere quam sub specie canonicæ electionis mercenarium intrmittere, vel quantumlibet bonum contra dignitatem et privilegia Cantuariensis ecclesiæ intronizare. Quod audiens præfatus rex, sicut erat benignus et affabilis et bonis pollens moribus, nihil contra Cantuariensis ecclesiæ privilegia regia potestate facere præsumpsit; neque contra patris sui præcepta et voluntatem pro illa vel cum illa statuit, sed hinc inde quod audierat benivolentiæ¹ et audientiæ, voluntati et deliberationi, patris sui protelavit. Indixitque ut omnes octavo die post festum sancti Michaelis convenirent, quatenus tunc fieret quod modo non potuit; videlicet ut qui metropolitanæ Anglorum cathedræ præsideret, beatoque Thomæ martyri succederet, juxta voluntatem [regis]² patris sui et cleri electionem ecclesiæ Christi Cantuariensi digna præficeretur persona. Interdum novus rex Cantuariam profectus est ad visendum sepulcrum sancti martyris, qui eum in pueritia nutriverat et quem ipse adprime dilexerat. Quo veniens, gravibus se lamentis dedit, plorans et ejulans, solo tenus prostratus ante sepulcrum sancti, eo quod in vita archiepiscopi patri suo aliquamdiu contra eum consenserat, eique cum patre suo aliquatenus restiterat, eique edictum regia majestate dederat ut in ecclesia sua³ Cantuariensi se reciperet, et inde non egrederetur, ne moreretur. De his et de aliis sancto martyri injuste patratis patri suo et sibi humiliter veniam precabatur. Scimus autem ipsum sanctum martyrem iram vel vindictam non reservare, sed magis pœnitentiam delinquentium desiderare. Susceptus autem rex a monachis ejusdem loci honorifice cum processione, Deo et sancto martyri Thomæ multa donaria obtulit, et multo

¹ Sic MS.² Interlined.³ Sic MS.

*plura*¹ promisit. Statuto ergo die venit rex ad Windelisoures, ubi ad eligendum archiepiscopum clerus et populus convenerat. [From this point the MS. seems to be written in another hand, the words "susceptus . . . convenerat" being repeated.] Quo venientes prior Cantuariæ et monachi ejusdem ecclesiæ, præsidente novo rege, assidentibus justiciis², præsentibus episcopis et abbatibus, affluente minore clero et populo, præfatus prior Cantuariæ et monachi sui, primo sermoni suo et rationi primæ et privilegiis Cantuariensis ecclesiæ et communibus decretis innitentes, liberam sibi dari electionem postulabant, quatenus cum ascitis episcopis simul et cætero clero dignum tanto (Fol. 74.) ministerio eligerent pastorem. Denique dictum est illis ut aliquam personam nominarent, ne, si regi placeret persona, jam de electione aliqua superesset controversia; sin autem displiceret, ad aliam respicere oporteret. Quibus verbis illi nullatenus adquiescentes responderunt, se nullam nominare personam, nisi prius sine contradictione eis daretur optio eligendi visam sibi idoneam. Quod quia esse contrarium regis patris sui edictum novus rex intelligeret, quem sciret in eligendo archiepiscopo potius voluntatem suam quærere quam aliquantumlibet validam rationem; electionem archiepiscopi ad audientiam patris sui usque ad festum sancti Andreæ protelans, scitatis priore Cantuariensi et monachis suis, ut eodem die coram rege assisterent, dimisit omnes ad propria. Ipse vero novus rex ad transfretandum se expedit, sicut ei rex pater suus mandavit. Dispositisque pro voluntate sua regni negotiis, Normanniam transfretavit. Prior quoque Cantuariensis et monachi sui ante præfixum sibi diem prospero cursu directi coram rege assisterunt. Quos rex honorifice et benigne suscipiens, expensa et omnia necessaria usque ad adventum regis filii sui, qui nondum venit, immo ad quantumlibet morosam comperhensionem in Normannia, gratanter obtulit. Qui illi uti decuit gratulantes dixerunt sibi sufficere paupertatem suam et expensam quam habebant, existimantes, si regis propitiaretur voluntas, non morosam ibi facere comperhensionem. Altera vice, cum sæpeditus prior cum suis coram rege assisteret, rex fixam eorum constantiam humilitate vincere malens quam austeritate, complosis manibus, fixis in terram genibus, oculis sursum erectis, sic stetit coram eis, se peccatorem clamitans, [se miserum reclamitans,]³ eo quod in necem archiepiscopi Thomæ consensisset, non quod eum interfici præ-

¹ The pen has been run through these words. ² Sic MS. ³ Interlined.

cepisset, sed quod verba diceret pro quibus interficeretur. Et misereri sui deprecans, et sedulo repetens, et eadem concinnans verba, petit, monet, laudat, permitti sibi talem archiepiscopum Cantuariensi ecclesiæ præficere qui menti suæ insideret, qui secundum cor suum ambularet, cujus obtentu ecclesiæ Cantuariensi benefaceret, oblata restitueret, et majestate sua protegeret; ut tali mediante archiepiscopo, infortunium quale de proximo acciderat, et minora quæ sæpius in eadem ecclesia contigerant, penitus excluderentur. Cujus persuasibilibus verbis et ponderosis et sensu plenis, ut qui super ætatem et æstimationem sapientia polleret, industria et facundia, jam dictus prior Cantuariensis Odo, et ipse vir industrius et religiosus, humiliter, reverenter, rationabiliter et circumspecte, ut qui secundum Deum iret, et nihil quod sibi accedere¹ posset timeret, respondit [The prior is represented as discoursing at great length on the necessity of choosing a fit person, and on the qualities which an archbishop of Canterbury ought to possess. Among other things—]

“Multæ sunt causæ, O rex, quibus oporteret archiepiscopum Cantuariensem monachum esse. Quorum omnium maxima, (Fol. 75.) quam supra diximus, scilicet stabilimentum regni, sustentatio patriæ, religionis vigor, lætitia populi, gloria Dei. Revolve retro annalia temporum volumina, et invenies hæc omnia orationibus archiepiscoporum [monachorum viguisse, sæcularium vero archiepiscoporum neglectu]² deperuisse, ipsosque quasi indignos periculo vitæ vel ordinis subjacuisse, regnum quoque Anglorum discidio vel deditiōni, divisioni vel desolationi, patuisse.”

[This doctrine is then illustrated by instances. Odo, although previously a secular, took the monastic habit at his election; and under him things went well. Alfsin, a secular, was frozen to death on the Alps.]

“Credo quod super eum venit præsumptio sua; credo si monachus esset, non sic eum interire sineret Deus; privilegium enim monachorum a Deo est.”

[Dunstan, a monk, was great as an archbishop; Alphage, a monk, received the crown of martyrdom. Stigand, a secular, was deposed; “Nec solum illi infortunium contigit, sed etiam per peccatum ejus regnum ab Anglis translatum est ad Normannos.” Lanfranc and Anselm, both monks, were eminent for their virtues, and in their times the kingdom prospered.]

¹ Sic MS.

² Interlined.

(Fol. 75b.) “Post hos, in tempore Henrici regis avi tui, O rex, Willelmus Curbuilensis, clericus nobilis et canonicus, archiepiscopus Cantuariensis factus est; [sed]¹ quia monachicum habitum ante promotionem suam, sicut præfati boni et sancti, non induit, et licet bonus intravit, non tamen bene, audi quale periculum non solum in ecclesia, verum etiam in regno contigit. Hic etenim, post homagium et fidelitatem per juramentum Henrico regi avo tuo et hæredibus suis factum, post decessum ipsius gloriosissimi regis, contemptis ejus hæredibus, cito declinavit, et consensit comiti Stephano, et ipsum contra juramentum suum regem inunxit; quo facto et ipse perjuri reus exhibit, et regnum ad tempus a manu tua, cui hæreditario jure cessit, recessit. Et quia perjurus in inunctione ipsius regis Stephani missas celebrare præsumpsit, Dei judicio ad futurorum malorum præsagium pax in fine missæ pronuntianda et danda oblita est, et dominicum corpus a manu consecrantis ita divinitus subtractum est, quod neque sumptum neque inventum est. Credo quod corpus quod ad discipulos intravit in cœnaculum januis clausis, hoc indigni se subtraxit manibus consecrantis. Ecce quanta mala clericus ille ecclesiæ intulit et regno; regno, inquam, de jure tunc tuo, sed ejus præsumptione tunc non tuo. Veruntamen adhuc unum addam exemplum, quod ipse melius nosti, O rex. In tempore tuo Thomas cancellarius tuus, nunc per martyrium Dei secretarius, voluntate et jussione tua archiepiscopus Cantuariensis factus est. Sed quia neque canonicè electus erat, neque religionis monasticæ habitum induerat, et ipse neci succubuit, et tibi ipsi et posteritati tuæ quod nosti accidit. Parco enim et defero majestati tuæ. Et quia idem minus canonicè archiepiscopatum indeptus erat, indeptum postea sponte dimisit, et falce passionis suæ peccatum purgavit. Cujus quamvis malus esset introitus, sed exitus sanctus; inchoatio injusta, sed consummatio perfecta. Sed quid prosunt exempla, nisi assit qui exemplificet? Tuum ergo est, O rex, ad supra dictorum bonorum archiepiscoporum et monachorum exempla archiepiscopum sanctum et monachum beato Thomæ subrogare, immo subrogari permittere.”

Cum hæc et his similia venerabilis prior Cantuariensis Odo peroraret, rex arrectas aures et attentas dictis accommodans, tandem breve subjecit responsum, dicens

[Here the MS. breaks off.]

¹ Interlined.